This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

AH
7448
78.3

Digitized by Google

AH 7448.78.3

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND.

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." (Will, dated 1880.)

Received 24 Dec, 1889.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

9412

DE OPPUGNATIONE SAGUNTI QUAESTIONES CHRONOLOGICAE.

DISSERTATIO INAUGURALES HISTORICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN ACADEMIA ALBERTINA REGIMONTANA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE AC LEGITIME CAPESSENDOS
DIE XXIII. MENSIS JANUARII A. MDCCCLXXXVI
HORA XII.
UNA CUM THESIBUS ADDITIS PUBLICE DEFENDET

JUSTUS BUŻELLO
POSNANIENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
WILHELM TESDORPF, DR. PHIL.
ARTHUR KOPP, DR. PHIL.

REGIMONTI.
EX OFFICINA LIEDTKIANA.
MDCCCLXXXVI.

Digitized by Google

Au ; 448.78.3
11263.52

Digitized by Google

Inter rerum scriptores, qui nobis historiam belli Punici secundi tradiderunt, auctoritate plurimum valent Polybius et Livius, quibus annumerandi sunt Appianus et Zonaras, quorum explicatio non plane satis accurata diligentia caret; ceteri autem, qui de hoc bello scripserunt, Florus, Orosius, Eutropius, propter exilitatem narrationis non magni aestimandi sunt. Sed quae a quattuor illis scriptoribus tradita habemus, ea quoque, cum iam in rebus gestis explicandis saepe inter se dissentiant, non pari modo credibilia esse, facile intelligitur. Polybius omnium accuratissimus et certissimus auctor videtur; e sua narratione ordo qualis sit rerum gestarum et temporum maxime elucet.

Expositio Liviana, quamquam satis longa et accurata, non tamen semper plane dilucida et perspicua est. Livius auctores quorum narratione in explicatione sua utitur, saepe verbum de verbo transscribit, saepe inanes fabulas narrat et tradit ea, quae vix credibilia haberi possunt. — Appianus et Zonaras nihil accurate explicantes, breviter tantum res gestas perstringunt atque attingunt, quo fit, ut ab iis ordo temporis et factorum saepe falso memoriae prodatur.

Digitized by Google

Quae cum ita sint, ii viri, qui nostris temporibus historiam Romanam scripserunt, in bello Punico secundo describendo. Polybianam potissimum narrationem secuti sunt, quae, maxima parte illius operis, quod valde dolendum est, perdita, usque ad tertium annum belli pertinet. Hi igitur omnes scriptores in enarrandis rebus gestis usque ad cladem Cannensem (usque ad hoc enim tempus libri Polybii, qui adhuc exstant, pertinent) Polybium solum secuti sunt, Mommsenius autem etiam in hac parte historiae suae praeter Polybium minus certis et fidis auctoribus, Appiano et Zonara, utitur et ut ea, quae apud illos scriptores discrepant, in unum confundat, operam dat. Cuius modum et rationem Peter (Studien zur römischen Geschichte) iure reprehendit.

Quamquam igitur in hoc uno Mommsenius a ceteris dissentit, tamen in ea re omnes consentiunt, obsidionem et expugnationem Sagunti, quae causa fuit belli Punici secundi, Polybio teste in annum ducentesimum undevicesimum conferendam esse.

A qua sententia Polybii uno loco Livius discrepat, cum lib. XXI c. VI obsidionem Sagunti in annum consulatus P. Cornelii Scipionis et Ti. Sempronii Longi conferat, id est in annum ducentesimum duodevicesimum. Cui opinioni cum progrediente narratione sua multa repugnent, sua sententia (c. 15) abjecta, Polybianam sequitur.

Quare cum explicatio Liviana, saepe obscura atque confusa, praesertim in initio belli Punici secundi enarrando, multo minus credibilis videatur, quam Polybiana, nostri temporis rerum scriptores sententia Livii omissa, Polybianam secuti sunt. —

Ante complures autem annos vir doctus quidam Sieglinius in dissertatione sua (Die Chronologie der Be-

Digitized by Google

lagerung von Sagunt. Leipzig 1878) hanc sententiam, omnibus probatam, tollere et Livianam substituere conatus est.

Sieglinius cum initio disceptationis suae Polybii narrationem in omnes partes perscrutetur atque pervestiget, demonstrare studet, obsidionem Sagunti non in annum ducentesimum undevicesimum, sed in annum ducentesimum duodevicesium conferendam esse. Ad quam sententiam defendendam multis undique argumentis allatis, docere et demonstrare studet, quo modo factum sit, ut oppugnatio Sagunti, non suo iure, in annum ducentesimum undevicesimum conferretur.

Priusquam autem ad ea, qualia sint, quae Sieglinius profert, inquirenda accedam, breviter de narratione Polybii disserere opus est.

In libro tertio c. XIII et XIV Polybius narrat, Hannibalem duabus expeditionibus aestivis Olcades et Vaccaers subegisse. Quibus victis tota Hispania usque ad Iberum flumen, Sagunto oppido excepto, Carthaginiensibus subiecta erat. Deinde a capite quinto decimo, quomodo inter Romanos atque Carthaginienses bellum ortum sit, enarratur. Saguntini periculum imminens providentes Romam legatos mittunt. Legatio Romana ad Hannibalem Carthaginem novam in hiberna venit postulatum, ne Saguntinos lacesseret neve Iberum flumen transgrederetur secundum foedus inter Romanos atque Hasdrubalem factum. Hannibal tergiversatur et Carthaginem legatos mittit, qui nuntiarent, Saguntinos Turbuletibus, clientibus Carthaginiensium, iniurias intulisse. Quo facto legati Romani, cum intellegant, se apud Hannibalem nihil profecturos esse, Carthaginem proficiscuntur. — Eodem tempore in Graecia Romani a Demetrio Phario, qui insulis maris Aegei bellum intulit, lacessiti, vere anni

Digitized by Google

ducentesimi undevicesimi, L. Aemilium consulem contra eum mittunt. — Eodem fere tempore Hannibal ex hibernis contra Saguntum proficiscitur et obsidione octo mensium oppidum expugnat. (c. 17.) In duobus sequentibus capitibus bellum Illyricum narratur. A capite vicesimo Polybius rursus ad res inter Romanos et Carthaginienses gestas redit, tum in capitibus XXI—XXXII iterum digressione facta de foederibus diversis temporibus inter Romam et Carthaginem factis dicit.

Romani de Sagunto expugnato certiores facti legatos Carthaginem mittunt, qui Hannibalem deposcerent et si negarent, bellum indicerent. Carthagine indictio belli accipitur, a plurimis acclamatur. Hannibal interim Carthagine nova omnia ad bellum parat. Copiis Ibericis domum dimissis quibus imperavit, ut vere sequentis anni ad signa redirent, omnia parat quae ad Carthaginem defendendam pertinent, et Hasdrubali fratri quomodo rebus futuris prospiciendum sit, imperat. Omnibus rebus praeparatis, Celtarum legatos exspectat, qui sibi de natura Alpium animisque incolarum referrent. Sed cum legati venissent et transitum Alpium, quamvis difficilis esset, tamen effici posse rettulissent, et eodem tempore Carthaginienses sententiae suae assentirentur, opportuno etiamtum anni tempore contra Romam profectus est. Iberum transgressus complures gentes inter Iberum et Pyrenaeos montes subegit et antequam montes ipsos transiit, partem copiarum remisit. —

Eodem fere tempore, cum Hannibal saltum Pyrenaeum transgressus est, Romani Iberum eum transiisse certiores facti statim Scipionem consulem in Hispaniam, Sempronium Longum in Africam mittere constituerunt. Consules autem primum consulatus tempus in coloniis Cremonam et Placentiam deducendis et in maioribus

Digitized by Google

copiis conscribendis consumpserunt. Vix coloniis deductis ingens Boiorum seditio orta est. Ad quam comprimendam cum senatus parte copiarum Scipionis uteretur, is novas copias conscribere coactus est. Tum primum consules opportuno etiamtum anni tempore in provincias abeunt. Sempronius Lilybaeum proficiscitur ibique magnam curam in belli apparatum intendit, Scipio quinque diebus postquam Pisa profectus est, Massiliam venit, ibique Hannibalem, quem ipse longe abesse putabat, iam Pyrenaeos transiisse audivit. Hannibal autem celeriter per fines Celtarum, quos partim pecunia sibi conciliaverat, partim vi armorum subegerat, progressus, facile Rhodanum transiit. Ad Rhodanum equites Numidae cum equitatu Romano a Scipione praemisso manus conserunt; sed priusquam Scipio cum tota exercitu advenit, Hannibal iam Alpibus appropinquat; quare Scipio rursus in Italiam navigat.

Usque eo ad hanc meam disceptationem narratio Polybiana magni momenti est, consideremus nunc, qualia sint ea, quae Sieglinius ei opprobrio facit.

Enarratione Polybiana illa satis dilucide apparent: Saguntum exeunte anno ducentesimo undevicesimo expugnatum, Hannibal non ante mensem Maium incipientem profectus est; postea demum Romani bellum incipiunt. Sieglinius, cum intelligere nequeat, quare Romani tam diu cunctati sint, causas cur Romani cunctarentur, quaerit; cum non inveniat, in narrationem Polybianam invehitur multaque dubia affert, quae Polybius (sua sententia) non satis accurate explicaverit. Haec fere Sieglinii sunt argumenta:

1. Warum bleibt Hannibal vom März bis Mai unthätig (otiosus) in Carthagena, da er doch jeden Augenblick erwarten musste, dass die Römer ihm mit ihrem

Digitized by Google

Angriffe zuvorkommen könnten, und warum machten andererseits sich die Römer diese Zögerung nicht zu Nutze?

2. Aus dem Datum des Alpenüberganges ergiebt sich, dass Scipio erst im September an der Rhone anlangte. Da nun die Kriegserklärung bereits im November 219 erfolgt war, wie erklärt sich die späte Ankunft Scipios, wie erklärt sich ferner der Umstand, dass Polybius den Scipio ὑπὸ τὴν ὡραίαν (im März) aufbrechen lässt, und dieser nach einer viertägigen Fahrt erst im September an der Rhone ist?

3. Wie erklärt sich die Unthätigkeit des Consuls Sempronius, der ebenfalls ὑπὸ τὴν ὡραίαν aufbricht, eine fieberhafte Eile in seinen Rüstungen entwickelt und doch noch immer in Sizilien weilt, als Anfang November 218 an ihn die Aufforderung ergeht, seinem Collegen zur Hilfe zu kommen, weil Hannibal in Italien stehe? (Siegl. p. 6, 7.)

Ad primum Sieglinii argumentum refellendum accedamus. Sieglinius maximam dat operam, ut accurate definiat, quantum temporis Hannibal in itinere ab Hispania in Italiam facto consumpserit. Recte arbitratus, Hannibalem ineunte mense Septembri ad Rhodanum flumen adfuisse, intervallum itineris a saltu Pyrenaeo usque ad Rhodanum flumen in viginti vel in viginti duos dies constituit. Hannibalem igitur ineunte mense Augusto saltum Pyrenaeum transcisse. Quo tempore autem Hannibal Iberum flumen transierit, Sieglinius ita confirmat, ut illud Polybianum permagni argumenti esse censeat, eodem fere tempore quo Hannibal Pyrenaeos transcisset, Iberum flumen eum transcisse Romanos certiores factos esse. Sed cum Livio auctore (c. XXI, 25) legati Massilienses hoc Romam nuntiaverint, Sieglinius iterum computat, in ornanda atque mittenda legatione non plus temporis quam

Digitized by Google

unum mensum consumptum esse, hoc temporis spatium profectioni Hannibalis ab Ibero flumine usque ad saltum Pyrenaeum aequum censet, quae computatio, si recta esset, doceret, Hannibalem ineunte mense Julio ad Iberum venisse.

Huic autem sententiae Sieglinii ea repugnant, quae a Polybio satis dilucide enarrantur, Hannibali inter Iberum flumen et Pyrenaeos cum multis gentibus pugnandum fuisse, quarum nomina Polybius appellat et expresse narrat, Hannibali haec proelia multo sanguine stetisse. Itemque Livius (XXI, 23) quamquam pugnas illas non nisi breviter attingit, tamen nomina earum gentium commemorat. Cuius rei Sieglinius rationem non habet. Illud Polybianum (3, 53, 3) Hannibalem *μετὰ πολλῶν καὶ μεγάλων ἀγώνων* illas gentes subegisse, nimis elatum putat, et ex iis quae Polybius paulo post affert, *ταχέως καὶ παρ' ἐλπίδα* (ad Pyrenaeos venit) demonstrare studet, eos milites, quibus amissis exercitus Hannibalis in profectione ab Ibero flumine usque ad Pyrenaeos in dies minuebatur, non pugnis periisse, sed metu imminentium periculorum commotos signa reliquisse. Qua in re praeter Livium Appiano et Zonara auctoribus utitur, qui plane de his pugnis tacerent. Sed, ut iam supra diximus, uterque eorum non satis fidus incertusque auctor est, Appianus, quod neglegenter et parum accurate, Zonaras, quod nimis breviter narrat.

E silentio Appiani aliquid concludere, id quod Sieglinius facit, non licet; nisi forte etiam illas expeditiones Hannibalis contra Vaccaeos et Olcades susceptas negare vult, quarum idem Appianus nusquam mentionem facit, Appiano autem pugnas illas Hannibalis in Hispania tamquam ante oculos observari ex eo loco cognosci potest, quo de rebus ab Hannibale Sagunto capto gestis sic dicitur (Iberike 13):

Digitized by Google

Ὁ μὲν δὴ τὰ ἔθνη τὰ ἀγχοῦ πάντα ἔπιὼν ὑπήγετο, ἢ πείθων ἢ δεδιττόμενος, ἢ καταστρεφόμενος.

Ex his verbis nihil satis dilucide elucet, et facile intelligitur, Appianum ipsum de genere earum pugnarum dubium fuisse; tali autem viro ad argumentum quoddam confirmandum auctore uti, non licet.

Zonaras quoque in brevi sua narratione (VIII, c. 21—23) satis habet, ea quae sibi graviora videntur, referre; alia, fide certorum auctorum confirmata, non narrat.

Nihil de pugnis Hannibalis cum Vaccaeis et Olcadibus, sed Hannibalem statim imperio suscepto Saguntum oppugnasse narrat; legatos Celtarum ad Hannibalem venisse, ignorat; in dubio ponit, quo tandem tempore Hannibal contra Italiam profectus sit.

Quae cum ita sint, iure concludi potest, huius quoque auctoris silentium non magni aestimandum esse. — Praeterea Sieglinius valde errat, in eo quod, Zonaram pugnas in Hispania septentrionali aperte negare, dicit, qui de t o t a profectione diceret, Hannibali usque ad Rhodanum nusquam adversarium obviam ivisse . . . . . Narratur apud Zonaram (VIII 23) *ὁ δὲ Ἀννίβας . . . . σπουδῇ ἐχώρει, καὶ πᾶσαν τὴν Γαλατίαν τὴν μεταξὺ τοῦ Πυρηναίου καὶ τοῦ Ροδανοῦ οὖσαν ἀμαχεὶ διῆλθε.* Hoc igitur loco non de t o t a, sed de profectione a Pyrenaeis usque ad Rhodanum dicitur.

Ea igitur argumenta, quae Sieglinius ad confirmandam suam sententiam affert, debilia videntur; eas autem pugnas, quas negare studet, vere accidisse, facile ex eo intelligi potest, quod Polybius earum gentium, quibus Hannibal bellum intulit, nomina appellat. Apud eum quoque auctorem, quem Livius sequitur, nomina earum gentium reperimus. Quamquam in nominibus appellandis Polybius et Livius inter se dissentiunt, tamen uterque eorum

Digitized by Google

eundem numerum gentium habet. Maxime verisimile videtur, eas gentes, quas Polybius alio nomine appellat, easdem esse, quas Livius enumerat, cum in sedibus earum describendis consentiant.

Itaque cum nomina harum gentium aperte prolata sint, negari non potest, eas in Hispania fuisse gentes, quod si constat, iure narrationi Polybianae credendum est.

Ex quo sequitur ut Hannibal in profectione sua multo plus temporis, quam quattuor hebdomades consumpserit. Sed etiam aliud quoddam in disceptatione sua Sieglinium effugit. Hannibalem Iberum flumen transiisse Massilia Romam nuntiatum est. Hunc nuntium, ut Sieglinius ipse opinatur, mercatores Massilienses attulisse, verisimile est.

Hi nuntium aut in itinere mercatorio, quo ad regiones, per quas Hannibal profectus erat, venerunt, aut per homines re ac ratione cum se coniunctos aut per alios ex illis regionibus venientes acceperunt. Sed cum erui non possit, utrum statim postquam Hannibal Iberum transgressus erat, nuntius Massiliam allatus sit an multo post et per oblatam occasionem, sententia Sieglinii, Hannibalis profectionem quattuor hebdomadum ab Ibero usque ad Pyrenaeos montes fuisse, non probanda est; nam in eo duplex temporis spatium intercedere poterat, quod eo fit verisimilius, quod pugnae cum populis inter Iberum et Pyrenaeos habitantibus Hannibalem morabantur. Illud Polybianum *ταχέως μὲν καὶ παρ' ἐλπίδα, μετὰ πολλῶν δὲ καὶ μεγάλων ἀγώνων,* nullo modo sibi repugnat, sed significat, Hannibalem proelia ac pericula imminentia celerius superavisse, quam ipse exspectaverat. Quare nulla re cogimur transitum Iberi in initium demum mensis Julii conferre, immo potius in initio mensis Junii ponendus est.

Digitized by Google

Quodsi sententiam Sieglinii sequentes profectionem Hannibalis a Carthagine Nova usque ad Iberum quattuordecim dierum fuisse censemus, Hannibal Idibus fere Maiis profectus esse videtur.

Sieglinius quidem, tenuissimis brevissimisque temporis spatiis Hannibalem itinera confecisse ratus, profectionem Hannibalis in initio mensis Julii ponit. Tum menses Maius et Junius inexpleti essent, et cunctatio Hannibalis non probabilis videretur. Illis autem expositis Sieglinii sententiam falsam esse confirmasse mihi videor, et Hannibalem Idibus fere Maiis profectum esse persuasum habeo. —

Nunc Sieglinius moram Hannibalis, quae sibi non probabilis videtur, ita declarare vult, ut eum non prius quam nuntius de rebus Carthagine gestis allatus est, profectum esse censeat. Quae arripieus de Polybii narratione haec profert: „Damit beginnt Hannibals Verspätung erklärlich zu werden, aber des Polybius Darstellung hat sich damit selbst gerichtet. Denn es ist unmöglich, dass der karthagische Oberfeldherr mehr als ein halb Jahr lang (wenn die Nachricht nämlich erst Ende Juni zu Hannibal kam) keine Ahnung haben soll, dass sein Vaterland sich im Kriegszustande mit Rom befinde . . . . . Wenn er wirklich vom Senat keinen Befehl erhielt, die Feindseligkeiten zu eröffnen, wenn ihm wirklich das Ultimatum Roms und seine Ablehnung so lange von der karthagischen Regierung nicht mitgeteilt wurde, musste er von seiner Partei oder doch auf dem Wege des Gerüchts die Kunde vernehmen . . .“ Non dubium est, quin Sieglinius recte iudicaverit, si propositio eius iusta esset. Sed huic duae res repugnant: primum enim ratiocinatio ipsa, quae docet, Hannibalem semper cum Carthaginiensibus communicavisse, tum ea quae a Polybio

Digitized by Google

narrantur. Apud hunc enim auctorem scriptum legimus (III, 20, 6) Romanos statim nuntio Sagunti capti allato legationem Carthaginem misisse. Atque (III, 34, 7) post relationem de Celtarum legatione, Hannibalem non multo ante de rebus Carthaginiensibus certiorum factum esse narratur (*προσπεπτωκότων δὲ προσφάτως αὐτῷ καὶ τῶν ἐκτῆς Καρχηδόνος*).

Quae secundum eam narrationem, quae sequitur, ad ea sola referenda sunt, quae Polybius de actionibus inter legatos Romanos*) Carthaginiensesque factis narrat Si quidem legati Celtarum ineunte fere Maio (id quod versimile est, si profectionem in medium Maium transferimus) ad Hannibalem venerunt, ille de rebus Carthagine gestis currente Aprili certior factus est. — Quo tandem tempore Saguntum captum sit, non satis accurate concludi potest, neque magis, quo tempore legatio Romanorum Carthaginem venerit. Ex Polybianis autem illis quae attuli, concludendum est, legationem Romanam (secundam) non ita brevi post Saguntum captum Carthaginem venisse. Neque enim fieri potuit, ut nimium temporis spatium inter res Carthagine gestas et nuntium ad Hannibalem missum intercederet. Livius XXI, 21 narrat, Hannibalem, postquam in hiberna concessit, de rebus Carthagine gestis certiorem esse factum; tum eum milites alloquentem facit, quorum alios domum dimissos vere ad arma se cogere iubet. Livio igitur auctore etiamtum hiems erat, cum Hannibal iam res Carthaginienses cognovit.

---

*) Quod ad legationes Romanas pertinet duas fuisse satis probabile videtur, priorum legationem ad Hannibalem Saguntum oppugnantem missam. quae ab eo repudiata Carthaginem se confert; alteram quae Sagunto capto recta via Carthaginem profecta bellum indicit. cf. Neumann. Zeitalter der Punischen Kriege. P. 259 s. 99., qui ipse quoque Sieglinii sententiam falsam esse putat

Digitized by Google

Polybius haud ita accurate in animo habet explicare quo tandem tempore Hannibal certior factus sit, cum, eum a Carthaginiensibus certiorem fieri, necesse esset; quare in legatione Celtarum narranda obiter tantum, iam antea Hannibalem nuntios Carthagine missos accepisse tradit. Si quidem alteram legationem Romanam in Januarii mensis finem constituimus — nulla causa est, cur eam ad prius tempus referamus — non maius temporis spatium quam octo hebdomadum inter eam nuntiosque ad Hannibalem missos interesset, id quod minime longius temporis intervallum apparet.

Quare cum indicia in temporis ordine explicando incertissima sint apud Polybium, stultum est, in tempore definiendo singulas dies quam accuratissime definire velle. Si hoc modo dies definiendas suscipimus, perfacile nimiam in subtilitatem incidimus, eo facilius, quod Sieglinii dissertationes paene omnes ex argutiis operose factis constant. — His, quae supra diximus, in animo erat demonstrare, quam incerta argumenta sint, quibus temporum series et et ordo construenda sint.

Nunc ad ea venio, quae Sieglinius de actionibus Romanorum sibi non intelligibilibus dicit. Sieglinius sic p. 12: „Sehen wir, wie es auf römischer Seite steht. Hier ist das Missverständnis abermals schlimmer. Aus Pol. c. XI haben wir gesehen, dass Fabius und seine Begleiter, welche sofort (*παραχρῆμα καὶ κατὰ σπουδήν*) nach dem Falle Sagunts im November 535/219 das Ultimatum nach Karthago gebracht hatten, im August 536/218 d. h. gleichzeitig als Hannibal die Pyrenäen überschritt, die Ablehnung nach Rom meldeten. Die ganze Reise, einen vierzehntägigen Aufenthalt in Karthago eingeschlossen, konnte höchstens drei bis vier Wochen in Anspruch nehmen. Sollen wir glauben, dass Fabius neun

Digitized by Google

Monate zu derselben brauchte? Sollen wir glauben, dass er in Karthogo dreiviertel Jahr gewartet habe, oder wie spätere Historiker glücklich conjicirt haben, dass er in Gallien und Spanien mit seinen vier Genossen fruchtlos herumgereist, während man in Rom auf Nachrichten brannte, wie es in Karthago ergangen? Aber angenommen, Fabius handelte so, so konnte man andererseits von der römischen Regierung erwarten, da die Ablehnung ihrer Forderung ziemlich sicher vorauszusehen war, dass sie die neun Monate benutzte, ihr Heer mobil zu machen. Statt dessen, als im August 536/218 die Gesandten zurückkehren, ist nach Polybius noch nicht einmal der Anfang gemacht, einige Legionen aufzustellen. Jetzt erst geben sie die ersten Ordres dazu, jetzt erst gründen sie die Colonien Cremona und Placentia."

Equidem non dubito hanc Sieglinii sententiam nimis elatam et argumenta, quae ex ea sequuntur minime probata esse contendere. Ut enim expugnatio Sagunti in Novembri mense ponatur, fieri non poterat, ut etiam legatio illa iam mense Novembri Carthaginem pervenerit. Non statim expugnato Sagunto Romani legatos mittere potuerunt, sed accepto demum nuntio. Quo autem tempore certus fidusque nuntius Romam pervenerit, diiudicari non potest. Nusquam scriptum legimus, a Saguntinis ipsis urbe capta Romanos certiores esse factos. Cum autem Hannibal Sagunto capto totam illius regionis oram maritimam possideret, vix credendum est, inde navibus nuntium recta via Romam pervenisse; immo potius, credo, rumor capti Sagunti paulatim ab altera gente ad alteram ferebatur et hoc modo via terrestri Massiliam atque inde in Italiam pervenit.

Itaque, etiamsi Ihnii sententiam (II, 141) legationem in vere anni ducentesimi duodevicesimi ponendam esse,

Digitized by Google

praeterimus, verisimile videtur, eam non ante initium eius anni missam esse. Cuius rei praeter ea quae nunc deliberavimus, et locus ille Polybianus de quo supra diximus, testis est; quo narratur, Hannibalem res Carthaginienses ad exeuntia hiberna comperisse, et aliud Polybianum, quo Sieglinius sententiam suam confirmare studet. Hoc Pol. III 61, 8. Ibi brevi antea Scipionem consulem Padum transiisse narratum est, cum Hannibal iam ad radices Alpium pervenerat. Sed cum fama de Hannibalis Alpium transitu ad Scipionem et Romam pervenisset, omnes, Polybio auctore, magna admiratione affecti erant, propter excellentissimas Hannibalis res gestas, qui quasi id consulebat, ut terroribus et perturbationibus tamquam obruerentur.

Nam *ἄρτι τῆς τελευταίας φήμης καταληγούσης ὑπὲρ τῶν Καρχηδονίων ὅτι Ζάκανθαν εἰλήφασιν, καὶ πρὸς ταύτην βεβουλευμένων τὴν ἔννοιαν, καὶ τὸν μὲν ἕνα τῶν στρατηγῶν ἐξαπεσταλκότων εἰς τὴν Λιβύην, ὡς αὐτὴν τὴν Καρχηδόνα πολιορκήσαντα, τὸν δ' ἕτερον εἰς Ἰβηρίαν ὡς πρὸς Ἀννίβαν ἐκεῖ διαπυλεμήσοντα, παρῆν ἀγγελία διότι πάρεστιν Ἀννίβας μετὰ δυνάμεως καὶ πολιορκεῖ τινὰς ἤδη πόλεις ἐν Ἰταλίᾳ.* E verbis *ἄρτι τῆς τελευταίας φήμης καταληγούσης* sequitur, ut animi Romanorum nondum diu e terrore se recreavissent, quo fama Sagunti capti affecti erant. Usque in postremum annum haec res in omnium ore atque sermonibus versabatur. Fama igitur, confecta jam prope aestate, satis recens erat, ut summam rem cotidiani colloquii efficere posset. Quod intelligi potest, si ponimus, expugnationem Sagunti initio demum anni ducentesimi duodevicesimi innotuisse, et eadem de causa legationem in idem tempus transferendam esse.

Digitized by Google

Deinde quae Sieglinius de itineribus Gallicis legatorum profert, ad rem non pertinent, cum non ex Dionis miscuis reliquiis (eius enim fragmento alludere videtur) sed e Livio de legatione illa nobis sit hauriendum. Neque veriora sunt, quae de Romanis nuntium avide exspectantibus et de senatu populoque Carthaginienses quae postulabantur negaturos pro certo ducentibus dicit. Immo ex iis, quae Zonaras VIII, 22 narrat, apparet senatum de evitando bello nondum desperasse et bellum differre quam praecipitanter inferre maluisse.

Iterum iterumque Sieglinius affirmat necesse esse, legatos Romanos secundum explicationem Polybii in III, 40, 12 Augusto mense revertisse. Hoc enim loco Polybius sic: *Ἀννίβας μὲν οὖν ἐνεχείρει ταῖς διεκβολαῖς τῶν Πυρηναίων ὀρῶν . . . . Ῥωμαῖοι δὲ κατὰ τοὺς αὐτοὺς καιροὺς διακούσαντες μὲν τῶν ἐξαποσταλέντων εἰς Καρχηδόνα πρεσβευτῶν τὰ δεδογμένα καὶ τοὺς ῥηθέντας λόγους, προσπεσόντος δὲ θᾶττον ἢ προσεδόκων Ἀννίβαν διαβεβηκέναι τὸν Ἴβηρα ποταμόν . . . . προεχειρίσαντο πέμπειν μετὰ στρατοπέδων Πόπλιον μὲν Κορνήλιον εἰς Ἰβηρίαν, Τιβέριον δὲ Σεμπρόνιον εἰς Λιβύην.*

Tum narratur, statim Placentiam Cremonamque coloniis deductis seditionem Boiorum ortam esse, quibus demum subactis Scipionen in Hispaniam navigare potuisse.*) In hac Polybii narratione interpretanda id potissimum agitur, qua ratione verba illa intelligantur: *κατὰ τοὺς αὐτοὺς καιρούς.* —

Ut enim a plerisque rerum antiquitatis scriptoribus, a Polybio quoque temporis ordo non semper satis accurate indicatur. Quae res partim ex eo pendet, quod hac

---

*) An Sempronius quoque tum demum profectus sit, dubium videtur. cf. Ihne R. G. II 144. Amk. 27.

Digitized by Google

ratione, qua rerum antiquitatis scriptoribus res gestae traditae sunt, accurata quidem diei constitutio, qua res singulae gestae erant, persaepe reperiri non poterat; partim autem ex eo sequitur, quod definitione et constitutione temporum non solum singulae gentes, sed etiam singulae urbes sic inter se differebant, ut fieri non posset, quin scriptores definitiones singularum dierum inter se varias et discrepantes ad unum eundemque temporis ordinem referrent. Cum tamen nulla temporum definitio tam pervulgata esset, ut hac ipsa probata atque accepta sperare possent, fore ut a maiore parte legentium intellegerentur, ii scriptores, qui scripta sua a plerisque omnium nationum doctissimisque legi volebant, res historicas narratas ita disponere solebant, ut eas singulis eventibus adiungerent quorum ordo et tempus cursu naturae rerum et certo perpetuoque intervallo redeunte quam accuratissime constituta erant: itaque res eodem fere tempore gestas elocutione „*κατὰ τοὺς αὐτοὺς καιροὺς*“ vel talibus: „paulo antea“, „non multum post“ etc. commemorare solebant. Quare Polybii verba (III 40, 1,2.) sic explicare licet: eodem fere tempore.

Polybius autem sic porro narrat: Priusquam consules proficiscuntur, Coloniae Placentiam et Cremonam deducuntur. Qua opera certo complures hebdomades consumptae sunt. Tum novis colonis imperatur, ut intra triginta dies in novas colonias se colligant. Quibus vix dispositis seditio Boiorum oritur, qua consul Scipio retardatus est, cum, parte militum in Boios missa, novas copias armare cogeretur. Si igitur Augusto demum mense deductio coloniarum suscepta est, tum quattuor hebdomades praeterierunt, dum coloni omnes advenerunt, atque si tum etiam diuturna Boiorum seditio orta est, Scipio vix, credo, ante exeuntem Novembrem vela dare potuit;

Digitized by Google

Novembri autem mense Hannibal iam in Italia versatus est; Scipionem autem iam Septembri mense ad Rhodanum fuisse pro certo habemus.

Quae cum ita sint, locus ille Polybianus aliter interpretandus eiusque sententia sic constituenda est: Romani κατὰ τοὺς αὐτοὺς καιρούς, tum cum Hannibal iam saltus Pyrenaeos transgredi paratus erat, ut consules mitterentur, decreverunt; haec autem temporis definitio ad res spatio intermisso gestas non referenda est. Polybii sententia haec fere videtur esse: Romanos Carthaginiensium consilia non quidem ignorasse, sed bellica consilia ad expeditiones perficiendas nondum cepisse, cum inopinantes cognoscunt, Hannibalem iam Iberum transiisse. Tum denique — eo erat tempore cum Hannibal ad angustias Pyrenaeorum constitit — utrumque consulem contra Hannibalem mittere constituerunt. Quibuscum consentiunt, quae Livius tradidit (XXI 5, 1 sqq.): Apud quem sic legimus: In Italia interim nihil ultra quam Hiberum transiisse Hannibalem . . . . Romam perlatum erat; cum . . . . Boii sollicitatis Insubribus defecerunt; nec tam ob veteres in populum Romanum iras, quam quod nuper circa Padum Placentiam Cremonamque colonias in agrum Gallicum deductas aegre patiebantur.

Secundum igitur Livii narrationem seditio Boiorum, allato demum nuntio Hannibalem Hiberum flumen transiisse, oritur, sed coloniae iam deductae exstant. Haec narratio, quae sola fide digna est, haud satis accurata Polybii temporis definitione refelli non potest. Quare et ea minime probantur, legatos Augusto demum mense Romam rediisse.

Quibus expositis adversus Sieglinii in Polybium invectionem satis mihi demonstrasse videor, ex eius narratione Hannibalis rationem in agendo luculenter et dilucide nobis

Digitized by Google

apparere, et narrationem eius nusquam atque nullo modo sibi repugnare. — Nunc ad ea accedam, quae Sieglinius (p. 5) in Polybiana narratione vituperanda censet. — Hoc loco Sieglinius sententiam suam his fere verbis comprehendit: Quo tandem modo fieri potuit, ut Hannibal Septembri demum mense ad Rhodanum perveniret; quo tandem, ut Sempronius tam diu nihil ageret? Quarum utraque res maxima ex parte iam iis quae supra diximus, probatur.

Praeterea Sieglinius errat, cum opinatur, elocutionem illam ὑπὸ τὴν ὡραίαν, quam apud Polybium III, 41, 2 reperimus, initium boni anni temporis significare, cum grammatici recte doceant, usum praepositionis „ὑπό" cum accusativo coniunctae latius patere. Quis enim est qui nesciat, ὑπὸ νύκτα non solum „bei Eintritt der Nacht", sed etiam „während der Nacht" significare? Itaque optimo iure verba Polybii nostra lingua vertere sic possumus „während der guten Jahreszeit". Sieglinii autem interpretatio horum verborum „im März" etiam rebus veris repugnat.

Apti enim ad expeditiones navium longarum faciendas anni temporis initium apud veteres serum fuisse constat. Usque ad ante diem sextum Id. Mart. anni Juliani maria penitus clausa erant, et navibus longis ante Id. Maj. vix quisquam ullam rem in mari suscipere potuit.*) — Romanorum in bello parando cunctatio perfacile intelligitur. Inter omnes constat, quam lente in bellis maioribus suscipiendis agere soliti sint; constitutio cum sociis facta non talis erat, ut milites celeriter parati ad arma convocari possent.

Eo vero tempore magna festinatione opus esse non putabant, cum sperarent futurum esse, ut bellum extra

*) cf. Vegetius IV, 39. Nissen, Ital. Landeskde. I p. 130 sqq.

Digitized by Google

Italiam gereretur, neque Hannibalis in agendo celeritatem providere possent. Romanorum autem animos adeo ad bellum gerendum inflammatos fuisse, ut apparatus bellicos accelerarent, a nullo auctore traditur neque ullo modo concludi potest. At tamen diuturna Scipionis retardatio proficiscendi mira esset, nisi Boiorum seditio intercederet, cuius rei Sieglinius non satis magnam rationem habuit. Neque maioris momenti sunt ea, quae de Sempronio Sieglinius dicit.

Et Polybius quidem res ab illo in Sicilia gestas breviter tantum perstringit, Sieglinius autem quae ille dixit, male intellexit. Cum enim Sieglinius, ut ipsius verba apponam „in fieberhafter Eile“ eum egisse censeat, Polybius verbis utitur *οὕτως καταπληκτικῶς ἐπεβάλετο πολεμεῖν;* vocem autem *καταπληκτικῶς* de admirandis, non de celeriter factis usurpari, quis est qui nesciat? Re vera consulis non tam intererat, ut quam maxima celeritate ageret, quam ut navibus ad Africam appulsis statim vel acerrimo impetu in Carthaginem suscepto belli initium faceret, et quam plurimos atque exercitatissimos milites et terrestres et classiarios sibi pararet, et commeatum auxiliaque provideret.

Accedit quod Livius accuratius de expeditione eius agit (XXI, 50 et 51) Livius sane et ipse satis breviter res a Sempronio gestas perstringit, non nisi eminentissimas consulis expeditiones commemorat, de interna consulis administratione omnino tacet, nec minus copiarum atque navium collectionem omittit. At tamen ex iis, quae a Livio de consulis opera atque industria tradita sunt, cognosci potest, eam sine dubio per complures menses perductam esse potuisse. Consentaneum est, pro tantis tamque terribilibus eventibus, qui brevi post in Italia acciderunt, res antea gestas inferiores postea apparuisse,

Digitized by Google

et ex ea causa a rerum scriptoribus parum accurate tractatas esse. Sed haec, quae tam tenuiter narrantur, non anxie verbum de verbo intelligenda sunt, sed nos intelligere oportet, auctores saepe plus significare, quam videntur.

Ut propter has argumentationes Sieglinii explicationem Polybianam repudiemus et refutemus, fieri non potest. Nunc ad ea aggrediamur, quae nova Sieglinius ad sententiam confirmandam affert. Loco illo Liviano, quem supra commemoravimus (p. 2) confisus et Ammiano Marcellino auctore (XV, 10, 10) oppugnationem Sagunti in annum ducentesimum duodevicesimum confert. Demonstratio, qua suam discrepantem sententiam explicat, haec fere est (p. 14): „Die römischen Gesandten kommen Mitte August nach Rom, danach hatten sie es Anfang Juli verlassen; da nun die Kriegserklärung unmittelbar nach dem Falle Sagunts beschlossen und ausgeführt wurde, so ist das Eintreffen dieser Nachricht auf Ende Juni festzusetzen; danach fand die Erstürmung Sagunts nicht viel vor oder nach Mitte Juni statt.“ Perquam mirandum est quod Sieglinius reditum legatorum ad Augustum mensem confert. Quem terminum ex iis conclusionibus constituit, quas ex narratione Polybiana hausit, quam antea semper repudiavit et parum credibilem putavit. Quod autem ad celeritatem illam attinet, qua Sieglinius res gestas singulas quasi praecipitantes facit, ea quae tradita sunt, non sunt eiusmodi, ut talem rerum accelerationem fuisse credamus.

Novum argumentum sententiae suae Sieglinius hoc Polybianum indicat (III 40, 2) *προσπεσόντος δὲ θᾶττον ἢ προσεδόκων Ἀννίβαν διαβεβηκέναι τὸν Ἴβηρα* (subiectum supplendum est *οἱ Ῥωμαῖοι*). Quae verba, Sieglinius putat, ad expeditionem quandam Hannibalis referenda esse, quae

Digitized by Google

eum opinione Romanorum etiam diutius in Hispania retentura esset. Quam expeditionem non nisi Sagunti oppugnationem intelligi posse. Haec Sieglinii sententia tum tantum intelligi potest, cum, ut Sieglinius fecit, rerum a Polybio narratarum rationem nullam habemus.

At Sieglinius opinionem suam praeterea conclusione e silentio Appiani (qui octo mensium oppugnationis nullo modo mentionem fecit) facta, confirmare vult, quem scriptorem in temporis definitione quam accuratissimum fuisse sibi persuasit. Cui sententiae repugnat, quod Appianus definitionem certam temporis minime curat. Kellerus ipse (der zweite punische Krieg und seine Quellen) quamquam in multis rebus Appianum excusat, tamen confitetur, Appianum studium temporum ordinis accurate definiendi penitus deficere, eique perfacile esse, rerum continuationem plane pervertere atque confundere. „Für uns folgt daraus“, Kellerus pergit, „dass wir an allen Punkten, wo es sich um chronologische Ordnung des Stoffes handelt, die Darstellung Appians mit Misstrauen zu betrachten haben.“

Sieglinius autem silentium Appiani sibi ex usu esse demonstraturus alium Appiani locum suae sententiae omnino contrarium praeterit. In *Ἀννιβ.* 4 de Hannibale ad Padum descendente haec leguntur: *ἕκτῳ δὲ μόλις ἀπὸ τῆς ἐξ Ἰβήρων ἀποστάσεως μηνί . . . . ἐς τὸ πεδίον ἐκ τῶν ὀρῶν κατέβαινεν.* Hannibalem autem Octobri mense in Italiam venisse inter omnes constat; Appiano igitur teste Hannibal sex mensibus ante, id est Aprili vel Maio mense ex Hispania profectus est, quod fieri non potuit, nisi oppugnatio Sagunti anno antecedente fuerit. — Quare hoc loco aut Appianum incertissimum auctorem esse, aut ea, quae in *Ἰβηρική* non narravit, per neglegentiam eum omisisse putandum est. — Utut autem res se habet,

Digitized by Google

argumentum Sieglinii ad nihilum recidit eique crimini dandum est, quod in exquirendis argumentis parum accuratum se praebuit.

Sieglinius quidem cursum rerum qualis fuerit, nunc sic fere explicat (p. 15): Hannibal überschreitet Anfang Juli den Ebro, Anfang August die Pyrenäen und steht im September an der Rhone. Dann erklärt sich bei der Kürze der Belagerung, warum die Römer der Stadt nicht zur Hilfe kommen konnten, dann können die Rüstungen der Römer erst Anfang August fertig sein, dann kann auch von den römischen Heerführern der eine bei der eingetretenen Verzögerung durch den gallischen Aufstand nicht viel vor dem ersten September aufbrechen, dem andern Consul in Sicilien bleibt keine Zeit mehr übrig, wenn er mehrere Wochen mit den Unternehmungen nach Malta und den Liparischen Inseln verbrachte, vor Ende October nach Afrika überzusetzen". Si haec Sieglinii sententia probatur, tum narratio Polybiana nullius momenti apparet. Non recte Sieglinius (p. 15) dicit, „dass die Quelle, welche Polybius seiner Darstellung zu Grunde gelegt hat, völlig konsequent sei zu Gunsten der von ihm eruirten Chronologie mit alleiniger Ausnahme des Jahresangabe."

Nam multae et gravissimae res, a Polybio diligenter et accurate narratae nova illa temporum definitione accepta corruunt atque evanescunt, praesertim hiberna Hannibalis, apparatus bellici, dimissio copiarum et convocatio earum ad initium veris. — Idem autem Sieglinius, qui ad sustinendam discrepantem illam Livii narrationem, argumentis e Polybio haustis, id consecutus est, ut Polybii temporum ordinis definitionem plane refutet, in Liviana explicatione omnia praeclara esse et cum sua sententia congruere opinatur. — At narratio Liviana quam maxime confusa

Digitized by Google

est sibique ipsa repugnans. Livius tres legationes commemorat. Precibus Saguntinorum commoti, qui impetum Hannibalis timebant, Romani in Hispaniam ad inquirendas res sociorum legatos mittere constituunt. Priusquam autem legati abeunt, Saguntum iam oppugnari nuntiatur. Quod, ut Livius narrat, Scipione Sempronio consulibus accidit. Nunc in senatu agitur, quid faciendum sit. Post multas altercationes in senatu factas censetur, ut nova legatio mittatur. Quae ab Hannibale non admissa Carthaginem se confert, ut Hannibalem deposcat. Carthagine Hannone qui contra Hannibalem loquebatur, consensu omnium superato, legatio infecta re rediit. Deinde in narratione Liviana longa, multis singulis rebus ornata, fabulosa oppugnationis Sagunti descriptio sequitur. Non multo postquam legati Romani Romam redierunt, urbs capitur. Interea Livius cum cognoscat narrationem suam sibi ipsam repugnare, definitionem temporum adhuc adhibitam omittit et Polybianam accipit, quam tota reliqua explicatione satis accurate sequitur, cum non nisi in parvis exiguisque rebus ab eo discrepet.

Illud sine dubio elucet, narrationem Livianam non ex uno fonte emanasse. Nam in ea compluria facta acriter sibi repugnant.

1) Oppugnatio Sagunti aut octo mensium aut aliquot hebdomadum fuit, tempus scilicet itineris secundae legationis Roma per Saguntum Carthaginem indeque Romam facti.

2) Hannibal Sagunto capto aut exercitum in hiberna deduxit, aut statim Sagunto decessit.

Sin autem has res manifestas praetermittimus, sive hanc, sive illam narrationem accipimus, Hannibalis ratio agendi plane diversam speciem haberet.

Digitized by Google

Itaque cum constet Livium hoc loco non numquam in traditione sua a Polybio dissentire, nunc mihi disserendum est, quem tandem in narratione sua discrepante secutus sit. Jam Niebuhr (Vorträge über Römische Geschichte II 62 ff.) omnia fabulosa, quae Livius in bello Punico secundo narrando profert, ad Coelium Antipatrum referendum esse, pro certo habet. Quod subtiliter Woelfflinus in libro: Antiochus von Syracus und Coelius Antipater demonstrare studet. At quamvis argumenta Woelfflinii non omnino fida firma taliaque sint, ut refelli non possint, tamen hoc ex iis maxime verisimile videtur Coelium certum notumque temporis intervallum, quo Saguntum expugnatum est, voluntate et studio non recte indicasse. Huius enim scriptoris interfuit populares suos omni neglegentiae suspicione liberare, et adversariorum meritorum obtrectatione, eorum res gestas laudibus efferre et celebrare. Itaque ea quae inter Romanos et Carthaginieuses publice acta erant, non vere narravit, multaque de medio sustulit; ut falso Hannibalem statim Sagunto capto Iberum transiisse memoriae prodidit. Quae Woelfflinius magna philologica subtilitate inquirens ad lucem protulit, ad ea non propius accedam, huius autemeri ratio mihi habenda est, quod in tertia decade Livii multa inter se repugnantia ostendit, quae ad talem auctorem solum referri possunt, qui a partibus Romanorum stabat et consulto facta corrupit; accedit quod Woelfflinius et ea quae apud Aurelium Victorem de vir. ill., et apud Orosium narrantur: Siciliam insulam iam pace anni ducentesimi quadragesimi primi Romanis traditam esse ad Coelium referenda esse pro certo habet. Woelfflinio id magni momenti esse videtur, quod Coelius Cicerone teste (Brut. 26, 102) vir iuris peritissimus erat; eius igitur magni intererat, quando-

Digitized by Google

cumque Romani aliquid contra ius gentium fecerunt, eos suo iure et lege egisse demonstrare.

Tamen, etsi Livium tam multa e Coelio hausisse Woelfflinio vix concedendum est, non dubitari potest, quin multis locis eo auctore usus sit, velut in oppugnatione Sagunti narranda. Cum enim in genere scribendi praeclarum Livium fuisse constet, non tamen ars dicendi ei soli tribuenda est, praesertim cum saepe auctores, quos sequitur, verbotenus transscribat. Cur Coelius oppugnationem longius enarraverit, ex eo elucet, quod de solo bello Punico secundo septem libros scripsit; eum autem in genere dicendi magna diligentia fuisse, Cicero testis est de oratore II 12, 54: „paululum se erexit et addidit historiae maiorem sonum vocis vir optimus . . Antipater ceteri non exornatores rerum sed tantummodo narratores fuerunt.“ Sed duae mihi res mirae videntur: Polybius, qui narrat, oppugnationem Sagunti octo mensium fuisse, quomodo incepta, perducta, finita sit, breviter tantum explicat; Livii autem, qui alium auctorem secutus eam quattuor vel quinque hebdomadum fuisse memoriae prodidit, narratio longa, verbosa, plena splendoris atque ornata, etiam res leves et exignas satis accurate tradit. Sed haec splendida atque ornata narratio temporis brevitati minime accommodata est. Si quis de diuturnitate oppugnationis Sagunti non satis instructus, quam diu oppugnatum sit, e Livii narratione concluderet, is certe eam non nonnullarum hebdomadum, sed complurium mensium fuisse pro certo haberet, Saguntum vero magnum et opulentum oppidum fuisse et ex hac tota narratione et ex ommibus sequitur, quae de urbe illa scripta legimus. Itaque quid verisimilius videtur, tale oppidum oppugnatione quattuor vel quinque hebdomadum aut octo mensium expugnatum esse? A memoria rerum veterum

Digitized by Google

exempla repetamus. Tyrus, potentissima urbs, oppugnatione septem demum mensium capta est; Syracusas obsessione duorum annorum Romani expugnaverunt, non contigit Demetrio Poliorcetae Rhodum capere; insula per unum annum frustra oppugnata, obsidione destitit, Quae cum ita sint, scriptores Carthaginienses, si Saguntum tam brevi tempore captum esset, quod Hannibali summae fuisset gloriae, huius facti mentionem facere non dubitavissenti; quoniam autem Polybius permulta e Sileno, certissimo auctore Carthaginiensi sumpsit, haud dubio eadem de Sagunto capto narravisset, si a Sileno tradita fuissent, sed adeo non ita scripsit, ut expresse octo menses commemoret. Ex hac igitur ratiocinatione, si quidem in hac disputatione ratiocinatio adhibenda est, octo mensium oppugnationem fuisse, tantopere elucere videtur, ut nisi gravissimis et certissimis argumentis refelli non possit. Quibus expositis Livium complures, quorum plerique rebus Romanis favent, auctores sequi videmus, quorum traditiones ratiocinationibus cedere debent. — Iam argumenta Sieglinii, quae refelli non posse putat, cum eis quae a Livio et posteriorum temporum rerum scriptoribus traduntur, comparanda sunt; simulque consideremus, qualis Sieglinii vis percipiendi et res historicas di iudicandi sit.

Ut igitur concedamus, Saguntum exeunte mense Junio captum et initium belli gerendi non ante exeuntem Augustum mensem factum esse, sequitur, ut consules Romanis otiosi a medio mense Martio usque Augustum Romae fuerint id quod Sieglinius temporum ordine a se constituto negat. Sed hoc loco Sieglinius sibi ipse repugnat. P. 7. dicit, Polybio auctore Scipionem consulem mense Martio profectum esse, quod minime credibile videtur, cum Polybius multas afferat causas, cur consules

Digitized by Google

retardati sint. Hoc loco Sieglinius eiusdem narrationis Polybianae, quam supra reprehendit, rationem habet; elucere, dicit, consulem haud multo ante Calendas Septembres proficisci posse, et similem de Sempronio consule sententiam dicit. Praeterea Sieglinium fugit, quam confusa et dubia Liviana sit narratio praesertim in compluribus illis legationibus explicatis. Gilbertus (Rom und Karthago P. 196) pro certo habet legationem primam, quae Livio teste Romae mansit, Carthaginem missam esse, Livio hoc loco auctorem annalium scriptorem quendam esse, qui consulto de ea re tacuerit. Secundam legationem, cuius item nemo aliorum rerum scriptorum mentionem facit, a Valerio Antia de ea causa inventam esse, Gilbertus putat, ut unum de gente Valeria, talis legationis principem, illustraret atque celebraret. Ubi vero haec tantae auctoritatis legatio re infecta rediit, vix intelligi potest, qua de causa tum Romani non statim Carthaginiensibus bellum indicant, sed iterum consilia ineant et legatos Carthaginem mittant. Dicet quispiam, Romanos speravisse, Carthaginienses, quorum alii bello parando, alii paci conservandae studebant, quid facturi essent incertos fore; sed eis, quae legatio illa secunda postulavit, repudiatis, non diubium erat; quid postremum Carthagienses decreturi essent.

Quin etiam ea, quae de Sagunto capto Livius narrat, inter se valde dissentiunt. Nam etsi priore quodam loco incolas in forum convenisse, nobilissimos cum divitiis in flammas se iniecisse, ut hostem sperata praeda privarent, narravit, paucis verbis post Hannibalem satis magnam praedam cepisse comemmorat. Quae cum plane sibi repugnent, dubitari non potest, quin hoc loco Livius duobus auctoribus, omnino inter se dissentientibus usus sit.

Digitized by Google

Omnibus autem Livii erroribus omissis, si modum et rationem rerum talem qualem Sieglinius vult, fuisse concedimus, res inter Romanos et Carthaginienses actae plane falsam speciem praebent. Si Sieglinium sequimur, Romani si non acres et strenui, tamen prudentes et providi, semper lege se agere simulantes, omnia suscepisse videntur. Tum putares, eos bello indicto ea quae fieri necesse erat, celeriter et prudenter fecisse; quare detrimenta illa paulo post paene continuo accepta iis culpae non tribuenda esse. —

De Hannibalis gloria multum detrahitur, cum nihil suo ingenio, omnia fortuna adiutus fecisse videtur. Vix Saguntum, urbs opulentissima, celeriter et contra spemi expugnata est, cum iam legati Celtarum veniunt, qui ei omnia bona quae volebat de Alpium transitu nuntiant, nullo proelio commisso ad Pyrenaeos pervenit, et vix quattuor mensibus post Saguntum captum intermissis iam in Italia versatur.

Omnia ea in narratione Polybiana, quibus Hannibalis natura optime illustratur, quam prudenter omnia egerit, hieme omnia ad bellum paraverit, copias in Africam et Hispaniam dispertiverit, unam earum partem dimiserit, in hibernis Celtarum legatos exspectaverit, haec omnia, quibus Hannibalem imperatorum summi ingenii fuisse elucet, corruunt atque evanescunt, si Sieglinium recte iudicare concedimus. Hannibalis in agendo et cunctando prudentia in insanam quandam et dementem festinationem, Romanorum dubitatio in magnam in rebus publicis agendis subtilitatem mutatur. Sed hoc nullo modo concedi potest. Nam ex omni Livii narrationis versu utut Romanos excusare studet, eos in rebus suscipiendis semper dubios, numquam certos fuisse elucet; perpetuo consilia capiunt, in senatu duae factiones, altera bello, altera paci favens, sibi obstant. Sieglinius cum, qua de

Digitized by Google

causa Romani cunctati sint bellum incipere, intelligere nequeat, cunctatos eos esse negat; Cumque in Hannibalis ratione agendi nihil gravius aut consideratius reperire possit, non tali modo, quo narrat Polybius, res fieri potuisse declarat.

Sed non solum omnes ratiocinationes, sed etiam facta ipsa Sieglinii sententiae repugnant. — Nam Polybius oppugnationem Sagunti in annum ducentesimum undevicesimum confert, in primum scilicet annum olympiadis centesimae quadragesimae, et in eundem annum, quo L. Aemilius consul contra Demetrium Pharium profectus est. Ab illo certum numerum oppugnationis octo mensium, ab illo Hannibalem ὑπὸ τὴν ὡραίαν vel ἀρχομένης τῆς θεραίας profectum esse cognoscimus.

Cui temporum definitioni nulla alia satis gravis ullius historici obstat. Historici inferioris ordinis Florus, Orosius, Eutropius indigni sunt, quorum ratio habeatur; Appianus et Zonaras, ut iam diximus, in temporum ordine definiendo nullius sunt momenti; sola Livii discrepantia, eaqua paululum tantum aliam temporum definitionem continere videtur. Considerantibus autem res, quibus illa effecta et constituta est, valde debile argumentum videtur; atque omni pretio caret, si in ipsa constituenda et adhibenda omnia facta, quae probabilia videantur, improbabilibus cedere videmus.

Quae cum ita sint, id quod Sieglinius in prima parte dissertationis (p. 1—19) Polybianam temporum definitionem refellere Livianamque pro illa restituere in animo habet, minime bono eventu factum esse arbitror. Minime enim res aperte traditas omittere easque supponere licet, quae non nisi operosa quadam constructione coniectaria exstiterunt, nullis autem certis argumentis continentur.

Digitized by Google

Alteram viam sententiae probandae Sieglinius ingressus annorum imperii Hannibalis et Hasdrubalis rationem iniit et computatione sua in annum ducentesimum duodevicesimum delapsus est. Initium facit a bello Carthaginiensi mercennario. De illius belli diuturnitate traditiones scriptorum inter se valde discrepant. Polybius enim bellum trium annorum, quattuor mensium, Diodorus quattuor annorum quattuorque mensium; Livius quinque annorum fuisse arbitratur. Sieglinius ad Diodori sententiam accedit eamque cum Liviana congruere dicit, quod hic pro his quattuor annis has quinque aestates enumeraverit. Quare falsam et non accuratam Polybii narrationem indicat, quod locus III, 10, 7 *ὁ Ἁμίλκας τετελευτηκὼς ἔτεσι δέκα πρότερον τῆς καταρχῆς* (*τοῦ δευτέρου πολέμου*) loco II, 1, 7 repugnaret, ubi imperium Hamilcaris novem fere annorum commemoratum est. Sed si quidem bellum mercennarium per quattuor annos erat, Hamilcar anno ducentesimo tricesimo sexto in Hispaniam profectus anno ducentesimo duodetricesimo e vita decessit. Susceptum autem imperium secundum Polybium et Livium Hasdrubal circa octo annos obtinebat, quo facto Sieglinii arbitratu eum anno ducentesimo vicesimo mortuum esse necesse est. Quae ratiocinatio, quamvis veritatis speciem habere videatur, tamen non ex omnibus partibus vera et probanda est. — Nam et Hamilcaris imperium novem fere annorum pro octo annis Sieglinius habet et Hasdrubalis imperii octo circiter annos plenos quidem octo annos fuisse contendit. Hamilcarem ab ineunte vere anni ducentesimi tricesimi sexti usque ad scriorem aestatem anni ducentesimi duodetricesmi imperium tenuisse putat, quamquam hoc nusquam traditur. Idem priore Diodori traditione Polybianae anteposita, paulo post posteriorem Diodori narrationem sibi displicentem missam facit.

Digitized by Google

Scilicet secundum hauc computationem ad libidinem factam, expeditiones in Olcades et Vaccaeos in annos ducentesimum vicesimum et undevicesimum, oppugnationem Sagunti in annum ducentesimum duodevicesimum confert.

Aliud genus sunt, quae Gilbertus argumentatur (Rom und Carthago 88 sqq.). Diodorum secutus Hasdrubalis imperium novem annorum fuisse. Hamilcaris in sex annos diminuendnm esse dicit; qua in re ad locos Orosii, in Cassiodori chronicis, Zonarae recurrit. Sententias et Orosii et Zonarae Sieglinius recte refutat, quarum utraque annum ducentesimum tricesimum primum indicatura sit. Non opus esse videtur contra Polybii traditionem fide dignam ad has dubiosas sententias recurrere.

Sed Gilbertus id quidem rectius quam Sieglinius intellexit, anno ducentesimmo vicesimo primo Hannibalem imperium suscepisse. Certa vero et quantulacumque ex parte firma definitio temporum, quae nos in constitutione temporum fluctuari non sinit, nisi istum annum obtinemus, confirmari et constitui non potest. Considerantibus enim nobis quam incertae sint temporum definitiones, quae semper coniunctae sunt cum his verbis „ungefähr“ vel „etwa zu derselben Zeit“, et quam difficile sit cognoscere, utrum in suscepti cuiusdam tempore definito primus annus adnumeratus sit necuc: libidini diiudicandi magnum spatium permissum et paene omnia argumenta e tali computatione hausta debilia esse valde elucet. Accedit quod iudicia de fide rerum scriptorum vulgo inter se dissentiunt, quare difficile est, de iis semper sincere iudicare.

Itaque aut satis habendum est, eam temporis definitionem, quae maxime credibilis videtur, praeferre aut penitus constitutionem eius missam facere.

Digitized by Google

Itaque sententiam Strehlii sequor (die chronologischen Daten des Polybius 14 sqq.), qui auctoritate atque fide Polybii probata, temporis ordinem ita definire vult, ut pro certo habeat, Hannibalem imperium anno ducentesimo vicesimo primo suscepisse, inde retro numeret singulasque dies constituat. Qua computatione initium imperii Hasdrubalis in anno ducentesimo undetricesimo, imperii Hamilcaris in anno ducentesimo tricesimo septimo ponit, ex quo sequitur, ut bellum mercennarium in annos ducentesimum quadragesimum primum usque ad duodequadragesimum conferendum sit.

Sine dubio propositiones a Sieglinio factae nihili sunt. Nam qua ille ratione de re agit, ea omnia demonstrari possunt; quae ratio eo magis vituperanda est, quod Sieglinius ipse intelligit, facile varia et diversa indicia de temporum definitione exoriri potuisse (p. 23). — Praeterea cum putet, illos errores ex Fabio, primo harum rerum auctore pendere, nobis repugnantia illo solvenda tradit, quod et Fabio errores crimini dat, et indicia posteriorum scriptorum ad eum recurrentium probabilissima habet.

Sed si ea quae Sieglinius in duabus primis explicationis suae partibus disseruit, si non probabilia videbantur, attamen basi quadam et fundamento nitebantur, in extremis partibus dissertationis ad inanes conjecturas delabitur. Quare longum est, de omnibus singulis rebus disserere; ad gravissima argumenta eius refutanda accedere satis esse videtur.

Sieglinius enim explicandum sibi proponit, quonam modo falsa temporum definitio (scilicet ea, qua oppugnatio Saguntí in anno ducentesimo undevicesimo ponitur) orta sit. Ad quod explicandum tria argumenta affert.

Digitized by Google

1) fragmentum quoddam Catonis.
2) Dicta poetarum, praesertim Ennii.
3) Anni indicium errore a Fabio factum.

En habes Catonis fragmentum: deinde duovicesimo anno post dimissum bellum, quod quattuor et viginti annos fuit, Carthaginienses sextum de foedere decessere. Ex his verbis foedus fractum, id est oppugnationem Sagunti, in anno ducentesimo undevicesimo positum esse apparet. Livius autem (XXI, 6) Hannibalem priusquam Saguntum oppugnaverit, gentes finitimas contra Saguntinos lacessivisse, narrat, ut si Saguntini impetus eorum ulciscerentur, inde belli causam capesseret. Appianus qui pro Turdetanorum nomine, nobilissimam illarum gentium Torboletas appellat, tantum narrat, Hannibalem eos irritavisse, ut apud se de incursionibus Saguntinorum quererentur, nec nos certiores facit, utrum illi hos impetus re vera fecerint neone. — Polybius nomina non profert, sed Hannibalem adversus Romanos praetendisse tradit, clientes suos a Saguntinis detrimento affectos esse, qua in re modum et rationem Hannibalis vituperat. Re vera proelia inter has gentes et Saguntinos commissa esse, a Livio solo commemoratum sed nihil accuratius de iis traditum est.

At proelia non magni fuisse momenti ex eo cognosci potest, quod Polybius in eis enarrandis Hannibalis rationem et viam vituperat; si proelia illa re vera graviora et difficiliora fuissent, si clientes Hannibalis re vera essent oppressi, Hannibalis consilium et ratio plane iusta fuissent. Sieglinius quidem his proeliis a Livio obiter enarratis, a Polybio non commemoratis maiorem vim attribuere studet; quod non sua sponte facit, sed Gilberto auctore (Rom und Karthago 172 sqq.) Qui cum persuasum habeat re vera proelia eaque satis magna commissa esse, simul demonstrare studet, Hannibalis rationem plane iustam fuisse;

Digitized by Google

non eum, sed Romanos foedus cum Hasdrubale factum fregisse. Gilbertus difficultatem disceptationis suae ea re diminuit, quod semper narrationem Polybianam factiosam esse dicit, quare narrationibus non Polybianis suo arbitrio uti potest. Quod hoc ipso loco Polybio minime crimini tribuendum est. Apud eum (XV, 9, 10) ubi res inter Hannibalem et legationem Romanam gestas commemorat, sic legimus: *διὸ καὶ ταῖς μὲν ἀληθιναῖς αἰτίαις οὐκ ἐχρῆτο, κατέφευγε δ'εἰς προφάσεις ἀλόγους, ἅπερ εἰώθασι ποιεῖν οἱ διὰ τὰς προεγκαθημένας αὐτοῖς ὁρμὰς ὀλιγωροῦντες τοῦ καθήκοντος. Πόσῳ γὰρ ἦν ἄμεινον οἴεσθαι δεῖν Ῥωμαίους ἀποδοῦναί σφισι Σαρδόνα καὶ τοὺς ἐπιταχθέντας ἅμα ταύτῃ φόρους, οὓς τοῖς καιροῖς συνεπιθέμενοι πρότερον ἀδίκως παρ' αὐτῶν ἔλαβον· εἰ δὲ μὴ πολεμήσειν.*

Hic iniuriarum Carthaginiensibus a Romanis illatarum mentionem facit, et si pergit (§ 11): *νῦν δὲ τὴν μὲν οὖσαν αἰτίαν ἀληθινὴν παρασιωπῶν, τὴν δ'οὐχ ὑπάρχουσαν περὶ Ζακανθαίων πλάττων, οὐ μόνον ἀλόγως, ἔτι δὲ μᾶλλον ἀδίκως κατάρχειν ἐδόκει τοῦ πολέμου,* aperte iustam causam belli gerendi, qua Hannibali uti licebat, iniustae opposuit. Itaque, cum hoc loco aperte de iniuria Romanorum loquatur, quidnam causae est, cur altero loco reticeat?

Polybio igitur teste magna inter Saguntinos et Turdetanos proelia commissa esse, nullo modo credere nobis licet. — Sieglinius autem non gravatus res credibiles negare et male traditas audacia quadam coniectandi gravissimas et magni momenti proponere, proelia inter Saguntinos et Turdetanos re vera fuisse sibi persuasit, quae per totam hiemem anni ducentesimi undevicesimi et duodevicesimi perducebantur.

Quod Romani carum pugnarum quasi otiosi spectatores erant, id quod in initio dissertationis ei plane

Digitized by Google

incredibile videbatur, Sieglinius nunc subito ex ea re demonstrare studet, Romae factionem pacis studiosissimam fuisse, quae, etsi intelligeret, Hannibale auctore Turdetanos proelia illa committere, tamen his proeliis foedus non violatum esse putasset. Cur autem Hannibal otiosum se spectatorem gesserit, Sieglinius non explicat. Immo dicit, Hannibalem, cum ineunte vere subito fieri posse intellexisset, ut Romani Saguntum tuerentur, causa Turdetanorum suscepta ipsum urbem obsedisse atque expugnasse, priusquam Romani consilia bellica caperent. Sieglinio igitur auctore non sola oppugnatio Sagunti, sed totum spatium ab initio belli Turdetani usque ad expugnationem confectam octo mensium fuit. De hac sententia Sieglinii, qualis sit, multa verba facere supersedeo. Minime credibile et plane absurdum videtur, socios Romanorum et Carthaginiensium per sex menses proelia comisisse, Romanos autem et Hannibalem in utraque parte quasi otiosos spectatores se gessisse.

Ex quo apparet, quam neglegenter et contrarie Sieglinius in rebus explicandis argumentetur. Fragmentum illud Catonis ita studet interpretari, ut Catonis arbitrio foedus non impetu demum Hannibalis in Saguntum facto, sed iam proeliis cum Turdetanis commissis laesum fuisse putet, Catonem igitur suo iure foedus fractum in annum ducentesimum undevicesimum conferendum esse censuisse. „Der Angriff auf Sagunt ist in römischen Augen ein Vertragsbruch, und wenn nach römischer Auffassung Hannibal seine Unterthanen aufreizt, die Stadt trotz des Vertrages anzugreifen, und er später die Maske abwirft und den Krieg weiterführt, so hat er den Vertrag gebrochen, nicht in dem Augenblicke, da er den ersten Mauerbrecher auf die Stadt richtete, sondern da die ersten Turdetaner gegen sie ausrückten.“ Quae verba Sieglinii

Digitized by Google

repugnant, quam ipse de via ac ratione Romanorum dicit, qui sua opinione, quamvis caute et considerate, at tamen satis acriter ad res aggrediuntur. — Sed, ut equidem credo Romanos talem ad res publicas administrandes rationem adhibuisse, ut foedus aperte laesum esse non solum paterentur, sed etiam in iniuriis gradatim illatis otiosos spectatores se gererent, minime intelligi potest. Pergit iam Sieglinius (p. 28): „Wahrscheinlich hat Cato sich begnügt anzugeben, dass Hannibal im Jahre 219 die Turdetaner zum Kampfe gegen Sagunt aufgereizt und darauf den Streit als Vorwand benutzt habe, um selbst gegen die Stadt loszuziehen. Die Stadt habe sich lange und tapfer gegen ihn, ebenso wie vorher gegen die Turdetaner gewehrt, sie sei aber nach acht- bis neunmonatlichem Widerstande dem ungleichen Kampfe unterlegen. Unwillkürlich bekam jeder damit den Eindruck, dass von den acht bis neun Monaten der überwiegend grössere Teil Hannibal treffe, der verschwindende die Turdetaner, nicht umgekehrt, wie wir selbst heute noch diesen Eindruck aus Appian, aus Livius und Polybius bekommen und nur mit Mühe und mit Combinationen der Wahrheit näher kommen können.“

His extremis verbis Sieglinius se ipsum condemnat. Recte dicit, omnia probabilia, credibilia, luculenter tradita, de medio tolleuda esse, ut sententia sua vana et quasi ficta quantulamcumque speciem veritatis obtineat. Omnia, quae tradita sunt, conjecturae Sieglinii repugnant, et nisi perverso et libidinoso arbitrio in rebus diiudicandis, illa exiguum et debile fundamentum non accipit. — Quare nobis vice versa alio, quo Sieglinius, modo concludere licet: cum Cato foedus ab Hannibale fractum in annum ducentesimum undevicesimum contulerit, Sagunti autem

Digitized by Google

oppugnatio idem quod laesum foedus significet, illa Catone teste in eundem annum conferenda est.

Praeter Catoni crimen, quod temporis definitionem confuderunt, poetis Sieglinius tribuendum esse censet. Initium capit a Silio Italico, qui in suo „bello Punico“ oppugnationem Sagunti perquam multis versibus enarrat. Cumque Silius ad Ennii exemplum opus composuisset eumque oppugnationem Sagunti satis accurate tradidisse constaret, iis qui Ennium legebant, oppugnationem Sagunti gravissimam et maximi momenti apparuisse Sieglinius opinatur. Quod ad rationes attinet, quae Sieglinio auctore inter Silium et Ennium intercedunt, Sieglinius Heynacheri potissimum opere „Ueber die Stellung des Silius Italicus unter den Quellen zum zweiten Punischen Kriege“; nititur qui Silium ex Ennii carminibus quam plurima hausisse arbitratur. Quam sententiam plane refellit Schlichteisenius sua diligentissima atque accuratissima dissertatione „de fide historica Silii Italici.“ Schlichteisenius primum satis dilucide, quantopere Heynacherus neglexerit internoscere explicat, quae Silius ex historicis hauserit, quae suo ingenio addiderit. Non solum imaginationem poeticam in illo praevalere, sed ea ipsa quae non poetice dicta essent, non re vera gesta putanda esse demonstrat.

Quamquam negari non potest, rationem ullam inter Silium et Ennium interfuisse*), tamen secundum ea, quae Schlichteisenius disputavit, opinio illa, Silium ad exemplum Ennii opus composuisse reicienda est. —

Sed praeterquam quod argumentis nunc allatis Sieglinii auctoritas corruit, et ea quae de Ennii ratione indicat, fidem habent nullam: „Die hohe Bedeutung, welche die Belagerung Sagunts als Ursache und

*) cf. L. Müller. Quintus Ennius 171 sqq.

Digitized by Google

Einleitung des denkwürdigsten aller Kriege im Altertum für die Geschichte hatte, der tragische Ausgang derselben, dann das hervorragende Interesse und Mitgefühl, das die Römer speciell für die Bundestreue der Verteidiger von Anfang an den Tag legten, wird für Ennius die Veranlassung gewesen sein, dass er dem Kampfe der Saguntiner diese grössere Aufmerksamkeit zuwandte und in seiner Darstellung demgemäss verfuhr". (p. 29.)

Quod vero Sieglinius ad rationem inter Silium Enniumque probandam de Silii accurata singularum rerum descriptione dicit, ex eo id solum intelligimus, oppugnationem Sagunti satis magni momenti fuisse, ut imaginationem poeticam excitaret. — Sed si Sieglinii sententiam probamus: oppugnationem Sagunti perbrevi tempore esse perfectam, Hannibalem postea statim in Italiam esse profectum, remque de re accelerato et continuato modo gessisse ita, ut altera quaeque actio priorem in oblivionem abire cogeret, difficile est intellectu, quo tandem modo oppugnatio Sagunti paucis hebdomadibus perfecta diuturnam admirationem excitare et magni momenti esse posset. Praeterea tanta oppugnationis brevitas, qua praecipue machinae bellicae tantum ad expugnandam urbem adhibebantur, numquam tantas causas praebere potuit, cur poetae ad celebrandas id genus res commoveri possent, quorum ingenia gravibus rebus et causis ad celebranda et collaudanda facta commoveri solent. Itaque quanti poetae expugnationem Sagunti fecerint, quantamque vim ei iam nonnulli scriptores, Livium, eosque ex quibus hausit, dico, tribuerint, e diuturnitate sola temporis elucere videtur. Octo mensium intervallo praeterito, poetae ingeniis liberis virtutem et desperationem incolarum, triste flebileque excidium eorum laudibus effere poterant. Quod Silius Hannibalem Sagunto capto

Digitized by Google

Gades proficiscentem facit, ubi excercitu collecto Herculi immolaret, Sieglinius Heynacherum secutus Ennio auctori tribuit; cui opinioni Schlichteisenii sententia repugnat (p. 44). Qua in re Silii sententia et a Polybiana et a Liviana omnino discrepat; attamen auctore Schlichteisenio eum non ignorasse credibile est, Hannibalis copias Carthagine nova constitisse et Silium Hannibalem solum in oppidum Gades se contulisse commemorare. Quare ne hoc quidem loco Silium et Ennium consentire et congruere demonstrari potest, quapropter omnes, quas Sieglinius ex hoc loco facit conclusiones, in nihilum recidunt. Sed quamvis expeditionem Gaditanam Ennium finxisse concedamus, tamen Sieglinii explicationis sensus atque intellectus repudiandus est, cum haec fere dicit: „Mit diesem Zuge nach Gades hat er (Ennius) einen Zeitraum von Monaten zwischen die Erstürmung von Sagunt und den Aufbruch nach Italien hineingebracht. Diese mussten notwendig zu Winterquartieren werden, sobald man anfing, Sagunts Belagerung sich länger zu denken und dabei den Aufbruch Hannibals nach Italien im Frühjahr 218 im Auge behielt. Es war ein regelrechter Winter entstanden, der beide Ereignisse trennte.“

Haec sententia plane refutanda est. Nullo modo fieri poterat, quin Ennius, aequalis belli Punici secundi, talem sententiam proposuerit. Expeditionem Gaditanam si quidem Ennius finxerit, ex aliqua eum historica traditione haurire necesse erat, quare quasi fundamento fictionis suae hibernis illis Hannibalis usus esse videtur. Cumque solae res bellicae poetae ingenio materiam ad componenda carmina praebere possent nullam, eum, ut nova atque inaudita his rebus gestis intermisceret, ipsam expeditionem finxisse credibile est.

Digitized by Google

Sieglinius ad argumenta sua probanda poetas quidem pluris iusto aestimat. Poeta rerum scriptor malus est, cum sublimitati atque magnificentiae verborum, accuratissimae et ornatissimae siugularum rerum descriptioni plus favet, quam fidei et veritati historiae. Materiam suam poeta ex historico, vix hic ex illo petere solet. Ambos autem nostros poetas quam artissime inter se coniunctos fuisse demonstrari nullo modo poterat. Quam ob rem Silio tota fides et auctoritas plane abroganda est, quae ei concedi posset, si Ennium omnibus in partibus exemplar imitandum sibi proposuisse videretur.

Breviter tantum perstringam, quae Sieglinius in extrema dissertatione profert. Demonstrationis eius haec fere sunt modus et ratio. Apud Appianum Romanos cum Carthaginiensibus bellum Punicum secundum coepisse *μεθ' ἑκατὸν καὶ τετταράκοντα ὀλυμπιάδας μάλιστα, ὅτε τὰς σπονδὰς ἔλυσαν, αἳ σφίσιν ἦσαν γενόμεναι.* Qui locus ad Fabii traditionem referendus est. Quisnam annus olympiadis centesimae quadragesimae fuerit (initium cepit illa anno ducentesimo vicesimo), Fabius non satis expresse indicavit. „Es lag aber nahe“, ut Sieglinii ipsius verbis utar, „zumal wenn man Cato und Ennius gelesen hatte, oder auch nur die Notiz im Auge behielt, dass die Belagerung im Frühjahr begann, — an das erste nach Beginn der 140. Olympiade fallende Frühjahr zu denken.“ (Siegl. pg. 35 sqq. Sine dubio nominationis consulum Fabium auctorem esse, et inde evenisse ut ex indictione nominum consulum atque ex dubia incertaque olympiadum constitutione obscuritas quaedam in temporum definitione sequeretur. Quare, Fabii auctoritati diffidendum fuisse Sieglinius putat. —

Quam nihil Sieglinius sua sententia demonstraverit, paucis explcemus. Fabium in temporum ordinis definitione

Digitized by Google

non satis accuratum fuisse, ex opprobriis Polybianis concludi non potest; id tantum Polybius ei crimini dat, quod saepe facta depravata et nimis elata tradiderit.

Initium belli Fabium penitus cognitum habere necesse erat; aut ex eo, aut ex Sileno Polybius cognitionem belli initii facti hausisse videtur; nec, si in belli initio definiendo traditiones Sileni et Fabii inter se discrepuissent, hoc silentio Polybius praeteriisset.

At Sieglinii sententiam plane diversam esse iam videbimus. — Fabium vero auctorem nominationis consulum et Scipionis et Sempronii esse, prorsus reiciendum est. Woelfflinum secuti supra de Coelio diximus, qui auctor huius traditionis intelligi potest. Etiam in his rebus Sieglinius Ennium et Catonem nimiis laudibus effert, quorum utriusque auctoritatem plus aeque aestimat.

Ut et aliis argumentis sententiam suam veram esse probet, Sieglinius de confusione in rebus ad Calendarium pertinentibus initio belli orta loquitur, qua singulas res permutatas atque confusas esse censet. Qua ex confusione alios quoque Sieglinius errores derivat. Praecipue enim e nuntio allato, Saguntum sexto mense aestivo captum esse, famam errore factam Saguntinos sexto oppugnationis mense sese dedisse pervulgatam esse.

Has tamen omnes argutias, quis est qui graves et severas censeat? Illis Sieglinius, ut difficultates sibi obstantes de medio tollat, non assequitur; quare non sine audacia quadam Polybium nominationem consulum Scipionis et Sempronii sibi oblatam et praesentem omittere non esse gravatum et sua sponte primum olympiadis centesimae quadragesimae annum posuisse contendit. „Details über die Belagerung liess Polybius aus, um Ungelegenheiten vorzubeugen; die Gesandschaftsverhältnisse wurden etwas

Digitized by Google

abgeändert, und somit stand seine Darstellung geschlossen und abgerundet da, klar ihm selber und seinen Lesern."

Quod dictum ea re mirifice illustratur, quod Sieglinius autea narrationem Polybianam iam ab initio non satis perspicuam, et paene omni probabilitate carentem habebat.

Quae cum ita sint, etiam in epilogo dissertationis Sieglinium id maxime agere videmus, ut, quod iam in initio operis sibi proposuit, demonstret: scilicet Polybium factiosum rerum scriptorem esse; nullum tamen validum argumentum eum afferre posse, perspicuum est. Tota quidem expositio certis et firmis propositionibus caret, quocumque oculos verteris, argumentationis verisimilitudinem desiderabis, argumenta quibus tibi persuaderi possit, vix invenies. Quare dissertatio nos non contentos neque assentientes dimittit.

Digitized by Google

Theses.

1. Bellum mercennarium Carthaginiense trium fuisse annorum, Polybius recte tradidit.

2. Initio belli Punici secundi Romani non tres, sed duas legationes Carthaginem miserunt.

3. Silius Italicus numero auctorum belli Punici secundi adcribendus non est.

Digitized by Google

Digitized by Google

Vita.

Natus sum Justus Bużello Posnaniensis Non. Jul. anni MDCCCLIX patre Justo, matre Selma de gente Käfer, quibus adhuc vivis gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis in collegio Fridericiano Regimonti imbutus, Berolinum veni ibique per novem annos gymnasium Guilelmianum, postea Fridericianum frequentavi. Vere anni MDCCCLXXVIII maturitatis testimonium adeptus studiis historicis et philologicis operam dedi, per quattuor semestria in universitate litterarum Berolinensi, tum per quinque semestria in universitate litterarum Regimontana. Audivi hos prof. illustr.

Berolini: **Scherer, Müllenhoff, Vahlen, Droysen, Nitzsch, Treitschke, Bresslau;**

Regimonti: **Prutz, Rühl, Schade, Wiechert, Schubert, Lohmeyer, Ludwich, Walter, Quaebicker.**

Quibus omnibus, inprimis professioribus Prutz, Rühl, Schade, qui me semper re et consilio adiuverunt, gratias ago quam maximas.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

AH 7448.78.3
De oppugnatione Sagunti quaestiones
Widener Library 004293928
3 2044 080 869 456

Digitized by Google